Fragmentarium



et quod in periculis sepe consti-
tutos clementer eripuit. nec umquam
peccatis nostris quo minus mi-
sereretur vinci potuit. oblitos sui
de se admonuit. aversos a se re-
vocavit. venientes ad se benigne
suscepit. penitentibus indulsit. perse-
verantes custodivit. stantes te-
nuit. lapsos erexit. Malas dele-
ctationes in amaritudines commu-
tavit. Sed rursum salubriter ama-
ricatis. consolationes suas tribu-
it. Postremo autem tribulatione
purgatis. quietem et pacem per-
fectam restituit. qui nec peccan-
tibus umquam defuit ut corrigeret.
nec iustis ut custodiret. Quisquis
huiusmodi meditationibus ante o-
rationis tempus animum suum
exercuit. nec improvidus fortassis.
nec tepidus ad orationem suam venit.
Meditatio namque assidua scientiam
parit. Scientia vero parta ignorantiam
pellit. et compunctionem parit.
Compunctio autem parta desidi-
am fugat. et devotionem parit.
Devotio vero orationem perficit.
Scientia est qua homo ad agniti-
onem sui illuminatur. Compun-
ctio est quando ex consideratione
malorum suorum cor interno do-
lore tangitur. Devotio est pius
et humilis affectus in deum. qui
ex compunctione generatur. Ter-
ritus enim magnitudine ma-
lorum suorum animus. et diffidens

de propriis viribus ad deum
se convertit. et tanto ardenti-
us patrocinium illius expetit.
quanto se nichil extra deum relic-
tum esse videt in quo confidere
possit. Devotio ergo est. conver-
sio in deum. pio et humili affectu.
Humilis enim est. ex conscientia in-
firmitatis sue. pius est ex consi-
deratione divine clementie.
Hec in se tres principales virtutes
habet. fidem. spem. caritatem.
Neque enim homo per devotionem
se ad deum converteret. nisi
et crederet se ab eo salvari pos-
se. et speraret eum misereri vel-
le. Postremo nisi eum plus quam
mala sua diligeret. nequaquam
illa fugiens. refugium sibi in
ipso eligeret. Credit ergo. sperat.
et diligit. Credit potentiam.
sperat misericordiam. amat custodiam.
Nichil ergo aliud est oratio. quam mentis
devotio. id est conversio in deum
per pium et humilem affectum.
fide. spe. et caritate subnixa.
Sed quia multis modis mens
per devotionem accenditur.
rursumque ipsa devotio men-
tis. variis modis voce promitur.
debemus singillatim orationis
species distinguere. ut aptius
valeamus virtutem eius indica-
re. Tres sunt species orationis.
supplicatio. postulatio insinua-
tio. Supplicatio est. sine deter-

License: public_domain – Brugge, Stads- en O.C.M.W.-archief Brugge, reeks 538: Fragmenten van handschriften, nr. 28, fol. [2]v – Hugo de Sancto Victore, <i>De modo orandi</i>; <i>Adnotatiunculae elucidatoriae in Threnos Ieremiae</i> (https://fragmentarium.ms/view/page/F-cvll/9367/69115)